...aus. I,

Bieżanowski Stanisław: Ara Lubomirsciana.

A R A
LVBOMIRSCIANA,
Pretiosis Heroicarum virtutum insignijs,
& Othomannicis spolijs,
A D O R N A T A,
Atq; ad Feralem Vrnam,
ILLVSTRISSIMI olim ac MAGNIFICI DOMINI,
D. STANISLAI
LVBOMIRSKI,
Comitis in Wisnicz,
PALATINI CRACOVIENSIS,
Scepusien. &c. &c. CAPITANEI,
Viri de Republica Polona meritissimi,
Summo cum omnium dolore extincti,
D E D V C T A,
Ad exemplumq; seræ posteritatis,
Et æternam tanti Herois memoriam,
P E R
STANISLAVM BIEZANOWSKI Leopol:
Art: & Philos: in Alma Vniuersitate Crac: Baccalaureum,
immortalitati
C O N S E C R A T A.

Anno à Partu Virginis 1 6 4 9. Die 14. Iulij.

. C R A C O V I Æ,
Apud LVCAM KVPISZ S. R. M. Typograph.

In Stemma Illustriss: Domus
LVBOMIRSCIANÆ.



Debeat excelsis quod SRENIAVA nubibus ortum,
 Causa latet, causam scit mea Musa piam.
Postquam sidereis steterat domus æmula tectis
 Aula triumphantis VISNICIANA Dei;
Vt sua Rex Superûm Palatia visere posset,
 SRENIAVIIS venit velificatus aquis.
Astra igitur spectat Flumen; nam sæpiùs indè
 VISNICIVM Fluuio hoc nauigat ipse DEVS.

Franciscus Petricius Eloq. & Philos. Auditor.

ILLVSTRISSIMIS ac MAGNIFICIS DOMINIS,

D. ALEXANDRO,

Supremo Stabuli Regni Præfecto,

Sendomirien. Niepolom. Zatorien. &c.

CAPITANEO.

D. GEORGIO,

Cracouien. Scepusien. Chmielnicen. &c.

CAPITANEO.

D. CONSTANTINO,

Sandecen. Bialocerkiew. &c.

CAPITANEO.

COMITIBVS in Wiśnicz & Iárosław,

LVBOMIRSCIIS,

Illustrissimi olim ac Magnifici Domini,

D. STANISLAI LVBOMIRSKI,

Comitis in Wisnicz,

PALATINI CRACOVIENSIS.

Viri de Republica Polona meritissimi

FILIIS.

Dominis meis & Patronis Amplissimis.

SERVARE posteritati, quæ præsentes miramur, & seris nepotibus consulere, in ijs quorum rarißima fertilitas, nemini magis incumbit, quàm felicißimo gloriæ vindici litteratorum calamo, Illustriss: ac Magnifici DOMINI. Quidquid enim immortale est, nec tot sæculorum iniuriâ deprauatum, nisi diuinitatem quãdam à Sapientum genio mutuasset, pridem ijsdem cineribus, quibus & mortalia sepultum perijsset. Ex quo litteræ, & earum amatores Orbi apparuerũt, nulla ætas tàm à primis remota est temporibus, quæ Maiorum aurea sæcula scriptorum calamis consignata, non inuideat mireturq́. Ac proinde nihil nos posteri in Maioribus nostris molestiùs in-

cusamus, quàm quod nobilissima ingenia non aluerint, quorum beneficio vindicati ab interitu, è cineribus feliciùs triumpharet. Nam mors, quæ amplissimas opes, titulos, & cætera nobilitatis insignia deprædatur, nihil reuerentiùs colit, quàm monumenta scriptorum; & quamuis furenti impetu neminem excipiat, postquam ad Sapientum opera peruenerit, nullibi prudentior est, quia nullibi quàm in litteris immortalia nascuntur, suprà quæ nulla potestas Libitinæ. Peruenerat ad aures Palladis nostræ, hoc supplicantis posteritatis desideriũ, vt quoniam fatorum lege felicitas hæc illi non cõtigerat, LVBOMIRSCIANÆ virtutis miracula intueri, at saltem liceret thesauro litterarum asseruata tãtæ gloriæ simulachra, sequentibus sæculis, & laudare, & imitari. Neq́ enim (vox erat posterorum) quæ præclara vobis contigêre, vestra tantùm sunt; nobis hæc maximè debentur, quia nemo præstantissimum quidquam aggrederetur, nisi speraret futuræ ætatis memoriam, æternùm duraturæ gloriæ sacrarium fore. Approbauimus vota, tàm obnixè à nobis LVBOMIRSCIANAM felicitatem exposcentia; & quamuis didiceram ego Alexandrum Macedonẽ Apellis nonnisi penicillo pingi, Lysippi manu sculpi voluisse, audacissimè tamen prosilui, & securus de humanitate vestra Illustriss: & Magnifici DOMINI, quæ hæreditaria LVBOMIRSCIIS est, Aram Illustrissimo PARENTI vestro erexi, & in ea quidquid immortale habuit, consecraui. Miramini forsan tam arduo operi infantiam meam humeros supposuisse, cuius onere etiam felicissimi premerentur Oratores; ast ego neminem adhuc pueris balbutire inuidentẽ aduerti; imò dulciùs ea plerumq́ influunt, quæ innocens simplicitas sine cultu, cãdidè tamen protulerit. Nec verò licuit mihi alibi quàm in sinu vestro Illustriss: ac Magnifici DOMINI, miraculum istud æui nostri, Illustrissimũ PARENTEM vestrum deponere. Nullibi ille augustiùs recondi potest, quàm in pectoribus Filiorum; nullibi securiùs, quàm in vestro Illustriss: ac Magnifici DOMINI, quod viuens tot laboribus erexerat, Sacrario conquiescet. Cæteris longæua memoria Obeliscis, Mausolæis temporũ vetustate absumendis emitur: Illustrissimo PARENTI vestro præter admirandas virtutes, tota ex Vobis Illustriss: ac Magnifici DOMINI crescet immortalitas; eò pretiosior illustriorq́, quo magis quidquid à fortunæ dotibus largiter atq́ effusè in posteros traducitur, leue atq́ euanidum habetur; secùs verò quæ in Filiorum virtute obsignamus, hæret nexùs licet soluantur cadauera; nec quidquam temporis auaritiæ in ea licet, quæ Parentum manibus in generosa progenie plantata sunt. Itaq́ quemadmodum olim circa Constantij Imperatoris Aram, Aquilæ æternam illius memoriã designantes pingebantur; Aquilas Vos quoq́ Illustriss: ac Magnifici DOMINI supra Aram meam Orbis suspiciat; & dum Illustriss: PARENTIS Vestri gloriam expansis alis conseruabitis, liceat quoq́ teneriori Palladi meæ, sub vmbram earum ab æstu publico declinare.

Illustrissimarum ac Magnificarum D.D. V.V.

addictissimus cliens

STANISLAVS BIEZANOWSKI

Art: & Philos: Baccalau.

A R A
LVBOMIRSCIANA.

QVAS non ita pridem Atlanti Sarmatico, Regum Europæ delicio, VLADISLAO IV. REGI noſtro olim feliciſſimo, lachrymas effudimus, eaſdem nunc HEROVM gemmæ, vtriuſq; prudentiæ oraculo, ILLVSTRISSIMO STANISLAO LVBOMIRSCIO dedicamus. Nihil vna in Rebuſpubl. calamitas proficit, niſi continuata ſerie aliquot Olympiades ſquallori publico cedant. Tàm diuturnâ & delicatâ pace, quâ temporibus VLADISLAI fruebamur, hoc Sarmatæ promeruimus, vt intra vnius anni curriculum, omnium ætatum, omnium imperiorum clades & miſerias ferre aſſueſcamus. Non iam ſterilitatem incuſent ſcribentium calami; fæcundum hoc omnis infelicitatis ſæculum eſt, ſuperat & Hiſtoricorum prudentiam, & eloquentiam Oratorum. Vix annua nobis redijt memoria, ex quo ſeptemtrionis noſtri miraculum cæleſtem patriam repetijt, en rurſum fatalis periodus pretioſiſſimum è Sarmatiæ theſauro abſtulit vnionem. Credat iam, quiſquis nondum fidem appoſuit, fortunam leuiſſimo Orbi inſiſtere; credat nullibi copioſiorem illius meſſem inueniri, quàm in Imperijs, quibus annoſa canities florem eripuit iuuentutis. Verùm non incuſanda eſt, quia cæca fortuna; imò tàm multorum Imperiorum victrici adſcribenda eſt ſingularis quædam prudentia: Præuiderat forſan, vt eſt ingenioſa, Polonos fortitudine & ſurgente SERENISSIMI CASIMIRI REGIS felicitate recreatos, VLADISLAI damnum & memoriam ſenſim depoſituros; renouat proin cataſtrophen, rapit præſtantiſſima Regni fundamenta, noua animis infligit vulnera, vt quantæ beatitudinis ſæculum VLADISLAI fuerit, præſentium calamitate edocti conſideremus, nec ad primam blandioris fortunæ ſerenitatem, ſubſequentia vt incerta & plerumq; luctuoſa metiamur. Neq; verò ad renouandam in pectoribus omnium doloris vehementiam, aptius quidpiam fata inuenire

potuerunt, quàm dum ille nobis per ſummam cæli inclemen-
tiam ereptus eſt, in cuius pectore & armata & togata patria ſua-
uiſſimè recumbebat, cuius conſilio æquè minima ac maxima
quoties nutabāt firmabātur, ad cuius exemplar modo primum
è cunabulis egreſſi Ciues vitam, indolem, prudentiam, & quid-
quid Heroes dicet, conformabant. Omninò hæc anima VLA-
DISLAO iungi debuerat, niſi mica quædam benignitatis fato-
rum, eam per hæc tempora periculoſiſſima ſeruaſſet. Debe-
bas MAGNE HEROS vt victoriarum, ita mortis Principi Tuo
comes eſſe. Verùm nondum Sarmatæ adeò derelicti fuimus;
ſublato Atlante, dedit Herculem & ſeruauit ille, cuius nutu
imperia creſcunt, & minuuntur: Vixit hæc anima, & quamuis
pridem cælo deſtinata fuit, eovſq; tamen generoſum retinuit
ſpiritum, donec fauore cæleſti electus SERENISSIMVS REX
CASIMIRVS par tanto oneri ſuccederet, & feſſas languentis
corpuſculi vires, Heroicâ virtute ſubleuaret. Reddita proindè
quàm in gremio geſtauerat ſuo patria, feliciſſimus euolauit LV-
BOMIRSCIVS: & ne diutiùs in Capitolio æternitatis trium-
phanti VLADISLAO inuideret, erupit è carceribus hiſce, vtri-
uſque gloriæ victrici coronâ laureatus. Et ille quidem dum
ſic mortalibus valedixit, nobis forſan nihil præter lachrymas,
aut ſuſpiria reliquit: ſed nequaquam populare iſtud obſequi-
um, doloris noſtri vehementiam, aut leniet, aut teſtabitur; Hu-
manum iſtud eſſe fateor, lachrymarum vbertate magnitudinē
interni affectus oſtentare. Aſt certum eſt, cum aliquid im-
mortale nobis eripitur, nullam in nobis lachrymulam ſupereſ-
ſe, quæ præ nimio cordis cruciatu non exaruerit. Tanto He-
roi ſi oculorum nonniſi ſcaturigines, pro ingentibus meritis,
conſecraremus, nihil nos à vulgo ſecerneret. Non ille tàm præ-
clara facinora propter momentaneum dolorem perfecerat; æ-
ternum ille, diuinum aliquid moliebatur, quoties pro Sarma-
ticæ gentis incolumitate, fortunas & ſalutē propriam mille pe-
riculis deuouebat. Lachrymentur ergò quibus non eſt aliud re-
medium doloris; nos quia maiora & auguſtiora nouimus, ea
Sarmatico huic Herculi offeramus. Aram ego virtutum eius
inſignijs, & victi terrarū Latronis Oſmani ſpolijs conſpicuam
adornabo, eamq; ſeræ poſteritati tanquam Polycleti ſtatuam,
omnis gloriæ abſolutum ſpecimen, conſecrabo. Nouellum
myſtam, & necdum tanto oneri parem, quiſquis non ad vnguē
omnia diſpoſuiſſe aduerterit, aut imbecillitati, aut doloris ma-
gnitudini, aut rerum Maieſtati ſi ignouerit, prudentem appel-
labo.

Si in

Si in Rebuspublicis par Heroum fertilitas necessitati respondéret, nec vota omnium toties in summa calamitate fortissimos Atlantes desiderantium frustrarentur; facilè nobis esset quæ in vno perdidimus alterius felicitate pensare, neque adeò fatales clarissimorum Virorum periodos deplorandas esse censeremus; At verò quia vitio sæculi & hominum, præstantissimi Patriæ Ciues annulo inscribi possunt, quia Rempublicam nonnisi dotatam amamus, quia vbertatem Magnarum mentium beneficio cælesti Patriæ donatam rarò pretiosè æstimamus; licitum imò omninò debitum est, quoties augustum aliquid è Patria tollitur, toties monumenta illi, Mausolæa, aut Aras meritorum odoramentis refertas, ad deuincendos posterorum animos, excitare. Magnum est enim donum, inæstimabile, ac proindè rarissimum Catones, Scipiones, Marcellos interrupto ordine in Rebuspub. succedere: Aurea illa ætas, quæ tantarum mentium feracissima; nec ob aliam causam toties egestatem publicam deploramus, dum parem ad pericula animum inter tot millia requirimus, cui aut læsa, aut spoliata, aut quod nunc Sarmatiæ contigit, semianimis Patria innitatur. Experimur toties quemadmodum cælum alioquin liberale, & à tot sæculis terrenæ addictum necessitati, adeò tamen à sueta nonnunquam degenerat propensione, vt cùm cætera affatim imperijs tribuat, solam Magnorum Virorum caritatem facit; sine quibus etiam gemmis ornata felicitas, ludibrium est fortunæ, cuius nullibi copiosior messis, quàm in Republica rerum vbertate, securitate, & otio beata, solo tamen Heroum ornamento destituta. Senectutem tunc imperiorum cognoscere licet, & breui morituram felicitatem, cum Viris consilio, & manu promptissimis destituimur: Nam regna, quia ætatem humanam imitantur, habent quoq; pueritiæ cunas, adolescentiæ amænitatem, virilis ætatis fortitudinem, habent senectutis incommoda, & propè diem affuturi occasus vaticinia deploranda. Atq; vt in adolescentia viriliq; ætate homini firmius robur, generosior virtus est; ita Respublica quousq; amænam imitatnr Veris aut æstatis viriditatem, eousq; fæcunditatem amat, flores Ciuium progenerat: Postquàm verò satiata annis succumbit, rarò aliquid dignum posteritate in ea apparet, aut si affulserit, momento tanquam decrepitum euanescit. Quis ergò succensebit eruditorum labori, qui præstantissima Rerumpub. decora, obliuioni subtrahunt, squallidæ vetustati situm adimunt, cineres & fauillas in

monumentis colligunt, & ex his clarissimorum Virorum Mausolæa, Pyramides, columnas ædificant, in quibus seri legant nepotes, quam multa præteritæ ætatis debeant Heroibus, quantum pro Patria fortunarum, laborum, sanguinis profudissent ij, quibus calamo immortalitas est vindicata. Vitreis quondam columnis cadauera includebant Æthiopes, vt simulacra virtutum posteris ad imitandum proponerent; imagines in celebri pompa funeris præferebant Romani, vt Ciuium animos, ad Maiorum facinora egregia contemplanda excitarent: Quid nos Sarmatæ? Soli ne cum corpore immortalem animum sepeliemus! soli ne eundem vitæ terminum & gloriæ statuemus! Imò vt nulla natio gentem nostram fortitudine & æternitatis desiderio superat, ita pluris Polonam virtutem æstimabit, si & viuenti honor, & mortuæ Diuinitas adscribetur. Animosè proin accedo ad Aram LVBOMIRSCIANO Nomini erigendam, quod vnà mecum omnes altioris prudentiæ testes fateantur, in homine præter ea quæ terrestri consortio debet, esse aliquid nobilius, excellentius, nec vlli vetustati subiectum, ac propterea victuræ memoriæ conseruandum. Conseruaberis à me, quanquam pusillo & imbelli Oratore, Magnũ Poloni nominis decus Illustr: PALATINE: quidquid Pallas mea immortale habuit, id in funere Tuo declarare cupiet, & æternũ duraturã lampadẽ in Ara gloriæ Tuæ accendet. Ælio Pertinaci Imperatori Romanorũ vita functo inter cætera funebris pompæ ornamenta, Aram quoq; inauratam, ebore & pretiosis lapillis Indicis radiantem adfuisse testatur Xiphilinus. Insignia hæc, sed vanitati superstitiosæ accommodata sunt: longè ditior mihi thesaurus est, è quo ornamenta, nullo vnquam pretio æstimanda colligi, & ad Aram immortalitatis LVBOMIRSCIANÆ excitandam transferri debent. Aurea ibi, eburnea, gemmeaq; ostentatio, ac proinde ignobili etiam dummodo opibus affluenti communis; LVBOMIRSCIANVS splendor sacer, triumphalis, è Capitolio cælesti deriuatus, in quem nihil auaritiæ, nihil annis, nihil obliuioni licet. Hìc me felicissimum quispiam putasset Oratorem, quod non vt alijs paupertatem argumenti incusare, sed inter opulentam rerum vbertatem singularia tantum delibare possim: Idem & ego à principio sentiebam, ast nunc elinguem me facundia fecit, inopem copia, rerum maiestas pauperrimum. Si enim armatæ felicitatis decora suspexero: habent hæc pridem erectam Orbis vniuersi Aram. Si to-

gatæ

gatæ prudentiæ merita venerari desidero, cælestibus iam fastis inscripta, mortales calamos despiciunt. Sed me illud erigit solaturq́;, nemini interdictum esse lares domesticos quàm maximo cultu prosequi: imò ea quæ priuata propensio effuderit, potiora habentur illis, quæ publica ambitio comminiscitur, eò quod in illis candor nulla beneficiorum obstrictus seruitute elucescit, in his simulatam ad tempus venerationem donec meliora eueniant, suspicamur. Primùm Aræ LVBOMIRSCIANÆ fundamentum, sanguis tot sæculorum ordine in Magnũ hunc Heroem deriuatus, constituet. Nec verò existimet quisquam in animo mihi esse, adeò vetustissimæ Gentis primam originem scrutari, atq́; sic longa Auorum & Atauorum seriè, ingentem quandam molem substruere. Gentis LVBOMIRSCIANÆ qui maiores habere vult numeratos, eadem facilitate reuocet ad calculum guttas, in gentilitio eorum Stemmate SRENIAVA contentas. Puerile est, & superstitiosæ cuiusdam diligentiæ opus, velle ea rudi calamo posteritati transmittere, quæ etiam doctissimorum effugiunt animos. Idem familiæ huius, qui & solis splendor est. Namq́; vt illius radios nequaquam vnica aut altera Orbis portione circumscripseris; Sic LVBOMIRSCIANÆ Gentis sydera intra vnius angustias pectoris frustra requires: Omnium scrutare corda, omnium mentes introspice, & postquam consensum perspexeris, mirare potiùs felicissimam Gentis huiusce propaginem, cui ne ipsa quidem Regina Eloquentia parem in celebrando afferre potest Maiestatem. Finge enim mihi mellitissimos, aut si vis nectare Deorum educatos Oratores: Quis illorum ad Antiquissima illa KMITARVM, MIROSLAVIORVM, WIERZBOSLAVIORVM Comitum in Nakiel nomina, nõ obmutescet? quis ad nobilissimas cognationes OSTROGIORVM Ducum & ZASLAVIORVM, KONIECPOLIORVM, ZAMOSCIORVM, ZEBRZYDOVIORVM? Quis ad affinitates veteres SRZENIAVIORVM cum GORCANIS, STADNICIJS, MELSTINIIS, TARNOVIIS, ODROWAZIIS infantiam suam non profitebitur? cum verò ab hisce fluuijs ad Oceanum LVBOMIRSCIANÆ gloriæ deuentum fuerit, quis in tam spatioso opere vires & imbecillitatem propriam non incusabit? Submittendi nempè sunt fasces Oratorum, quoties ad LVBOMIRSCIANÆ Gentis ornamenta accedimus; imò plùs hic venerationis si attuleris quàm verborum, Tibi & operi Tuo æternitatem faciliùs comparabis. SEBASTIANVM LVBOMIRSCIVM Castell:

Voynicenſem, Illuſtriſſimi quem deflemus Palatini Parentem, quiſquis pro dignitate & meritorum amplitudine celebrare voluerit, Iſocratis panathenaicum imitetur. Suffecerit Heros iſte omnibus illis, qui gloriam è Lubomirſciana felicitate deprædicanda aucupari vellent. Hoc enim erat ſpeculum & exemplar abſolutiſſimum, eius gloriæ, quàm à pietatis anteſignano Eccleſia: à Ciue, milite, Senatore, Patria: à Sreniauiæ Gentis ſidere omnium expectatio repoſcebat. Et quanquam ſatis Reipub. ſatis poſteritati oraculum iſtud omnis prudentiæ vixiſſet, longè tamen feliciùs immortale nomen inde adeptus eſt, quod florem hunc ſuauiſſimum, & velut pretioſam gemmam communi bono reliquiſſet, Illuſtriſſimum nempé Palatinum. Olim quoties Imperatorum Romanæ Vrbis corpora cremabātur, vt populus Diuinitatē mortuo Cæſari adſcriberet, id commentum Romani inuenerant. Pyra in qua corpus poſitum erat Imperatoris accensâ, emittebatur è ſummo culmine inter denſas vaporum & fumi nebulas Aquila, quæ cum æthera petijſſet, religio omnibus incuſſa erat, animam defuncti ad deſtinatam ſibi Capitolij cæleſtis ſedem euolaſſe. Nonnè idem in funere Magni illius Herois SEBASTIANI LVBOMIRSKI contigit. E cineribus Aquila nata, non quidem cælos petijt, ſed ad præſidium & ornamentum Sarmatiæ, Generoſum ſpiritum hucuſq; conſeruauit. Aquila erat Illuſtr: Palatinus, quia mentem eā à Parente ſuo hauſerat, vt tanquam è nubibus mortalia deſpiceret: Aquila erat, quia Ioui fulmina, hoc eſt VLADISLAO in immaniſſimum Orbis piratā Oſmanum, belli conſilia miniſtrabat: Aquila deniq; erat, quia velut illa Auguſti Cæſaris ſuper Aras, aut Maximiani ſupra templi verticem morabatur, pietatemque hæreditariam expanſis alis, & obumbrabat, & protegebat. Et hic iam ſponte recluditur mihi theſaurus, è quo pretioſiſſimi vniones depromendi ſunt, ad Aram LVBOMIRSCIANÆ felicitatis magnificè adornandam. Deueni ad cunas, & primos naſcentis Aquilæ vagitus, & cum faſcias intueor pueriles, viduatas infante nouello reperio. Itané Magnatum primordia nihil humanitati commune habent? Itanè licitum eſt, clariſſimorum in Repub: virorum filijs ordinem naturæ immutare? Delicias ego, voluptates, ſummum otium in Aulis Senatorum ſurgentibus pullis deſignabam; at ecce in hoc infante video, maiori curâ pueritiam Principum, licet inter ſummas opes conſtare, quàm tenuiorum inter infimam paupertatem. Sed notiſſimum eſt, Aquilas prius prolis ſuæ ocu-

los

los ad ſolem exponere, aciem explorare, inſpirare audaciam, quàm volandi illis permittant libertatem. Ita Magnatum filij, vix in lucem hanc expoſiti, à parentibus è cunabulis tolluntur, ſplendorem ferre aſſueſcunt, atque ſic domeſtica latibula, prius contemnunt, quàm agnoſcant, nec niſi ſub dio æternitatis lauream merentur. Abfuiſſe itaq; infantem hunc à faſcijs nemo miretur. Ad ſolem parentis iuſſu tenellam oculorum aciem intendebat? ibi teneritudinem, mollitiem, delicatiorem viuendi normam deponens, vbi per ætatem omnibus diſcere licet, quæ virum efficiant, quæ Polonum deceant, quæ in ſplendore publico, niſi ante perſpexerimus, erubeſcere neceſſum eſt. Maturuit autem Aquila hæc, priuſquam vota omnium ſperauerant, quia ibi nutriebatur, vbi omnia præclara ante ætatem adoleſcunt. Feliciſſimus ille nidus erat, qui tanti pulli Tyrocinia ſpectauit: Aula illa Lubomirſciana nihil aliud niſi Templum pietatis, domicilium ac ſedes virtutum omnium, Sacrarium victoriarum appellabatur, vndè nullibi citius prætextam adoleſcentuli ſumebant, quàm in hac domo, in qua Seminarium quoddam omnis prudentiæ & felicitatis fuerat conſtitutũ. Hic aliquis excurſurum me in laudes & negotia floridæ ætatis putabit, ſuſpendet animum ad primæ inſtituta iuuentutis, & quonam modo ad tantum gloriæ faſtigium Heros iſte peruenerit, perſcrutabitur. Feciſſem ego, niſi me maiora expectarent. Illis ego hanc relinquo Prouinciam, qui neſciunt Magnos viros velut Phœnices adultos è cineribus naſci, quibus idem ætatis, quod & virtutis principium. Neq; enim exotica illis res eſt præclarè agere; Domi ea habent, quæ alij peregrino debent præceptori; & quæ priuati in Hiſtorijs & monumentis ſcriptorum, tanquam miracula venerantur, ea Heroum filij domeſtico vſu edocti, prius aggrediũtur & perficiũt, quàm antea extitiſſe didicerint. Egredior proindè cum egreſſo in ſplendorem Reipub: Illuſtriſſ: Palatino, & cui in cunis vmbræ paternæ calamus velut tenello præludebat, ei nunc ſubmiſſo cultu famulabitur; Diſpar enim creſcenti & maturæ virtuti debetur obſequium. Ciuem Polonum, tanquam Bellonæ genuinum pullum, è gremio parentis caſtra ſuſcipere conſueuerunt. Vſitatum hoc Aquilonari plagæ, poſtquam aliquis è priuata educatione emerſerit, militiæ eum adſcribere, Gentis commodo, & naturæ propenſa in bellicam virtutem voluntate. Et certè, vicimus Sarmatæ omnes alias nationes, ſolo armorum deſiderio: & quamuis vincimur aliquando bellorum

 pruden-

prudenti regimine, Martis tamen amore, & contemptu periculorum cæteros superamus. Ex amplexu parentum, è rosetis, & dulcedine priuati otij, ruimus imbelles licet pueruli, quoties Martem per Prouincias incedentem prædicat rumor communis, quoties salus publica periclitatur, nec quidquam tædiosius nos Sarmatæ toleramus, quàm pacem nullius periculi consciam, aut nimia felicitate sepultam. Hinc nata celeberrima illa, & orbi vniuerso notissima Militiæ palæstra, quàm ad extremos fines Russiæ à tot sæculis ereximus; Ex qua quotquot Atlantes, Scipiones, Camillos in Polonia rediuiuos Europa miratur, prodierunt; Ex qua TARNOVII, CONSTANTINI Ostrogiæ Duces, ZAMOSCII, ZOLKIEVII, KONIECPOLII, POTOCCII antiquæ ætatis Imperatoribus pares, & nisi præsentia contemneremus, maiores quotidie pullulant; Cuius institutionem Moschus, Suecus, Scythes, Othomannus, aut ignominiosâ fugâ, aut miserrimo interitu comprobauit. Hanc olim Pericles ille Roxolanus, Magnæ in dicendo & scribendo libertatis Orichouius, Augusto Regi summoperè commendabat, dum eum è penetralibus patriæ & vmbratili vita, in illam Russiæ amænissimam, sed & fortissimorum virorũ fæcundissimã euocaret regionem. Quia ergò Polonum se esse Illustriss. hic Heros nouerat, eò contulit ad præclara natã generosæ mentis propensionem, vbi velut ad Lydium lapidem assurgentis animi indolem exploramus. Excepit hoc Triumphatricis familiæ pignus amænâ fronte Bellorum ille Deus Mars, exosculabatur futurum Orientis terrorem, suspiciebat altissima quæq; voluentem animum, & tantum Numinis sui cultorem felicissimis auspicijs medias inter acies aduenisse gratulabatur. Nec immeritò. Quem enim in admirationem simul & amorem nõ traxisset indoles illa, vltrò honesti instinctu & virtutis dulcedine, ad summa præuolans, Animus ingens & potens sui, gloriæ appetens, immobilis ad metum & pericula? Quem candidus oris & animi consensus, suauitas morum, in factis dictisq; constantia, cum amicis benignitas, cum subiectis humanitas, cum omni genere hominum comitas, vltrò vinculis amicitiæ non coarctasset? Quem deniq; ardor ille in Tyrocinio militari, ad magnam expectationem non erexisset? dum primus speculatum hostes in deserta ire, parantes irruptionem præsentire prædicereq;, perpetuò sub dio degere, eodem tempore inopiam & laborẽ tolerare, oculos in somnum non conniuere, ad quemcunq; sonitum aures oculosq; circumuertere, adeò illi familia-

 ria

ria fuerant, vt velut speculum quoddam aliis, ad quod se actionesq; suas conformarent, à primarijs Belli Ducibus, proponeretur. Sed nequaquam hic stetit Sarmatici huius Themistoclis solertia: omninò illi debebatur amplissimum aliquod theatrum, in quo LVBOMIRSCIANAM fortitudinem Orbis spectaret vniuersus. Xerxem potentissimum requirebat, de quo ignominiosissimè fugiente, triumpharet eò felicius, quò maior calamitas, si in caput authoris recidat, vberiorem lætitiā subministrat. Nec diu vota fefellit aduersa nobis, LVBOMIRSCIANÆ virtuti addictissima fortuna. Ceciderat flos, ille exercitus nostri inauspicato sidere in campos Cecorienses translatus, & immanissimæ gentis Othomānicæ falcibus succisus, eandem Poloniæ ruinam portendebat. O quàm horrenda temporis illius recordatio! quàm misera orbatę Patrię facies! quanti gemitus! quis Prouinciarum Vrbiumq; meror! & ante occasum funebre spectaculum! Quid verò dicam, cùm inebriatus fortunæ indulgentiâ teterrimus ille Orientis Tyrannus, omnes nos crudeli militum prædæ deuouebat, ac proindè, euocatis omni ex Imperio, quod latissimum habet, populis, & in nostram perniciem armatis, ad fines nostros plenus spei, plenus lætitiæ, plenus destinatæ victoriæ, Xerxem illum Persarum Regem potentissimum imitatus, immensam latronum vt & ipse multitudinem trahebat. Hìc quæ voces periclitantis Patriæ fuerint? quæ trepidantium suspiria? quam vicinus Regno interitus? ille non intelligit, qui Turcarum potentiam, & absorbendi imperia desiderium nescit. Ibat superbus ille Imperiorum deprædator, inter lætas acclamationes, & solennes ante victoriam triumphos, inter obsoletorum greges, inter exquisita luxus ac libidinis instrumenta, & famâ aduenientis Tyranni, vbiq; metum, lachrymas, quotidianas mortes incutiebat. Restitêre tamen tria illa Septemtrionis Numina VLADISLAVS, CHODKIEVICIVS, & Magnus hic cui parentamus LVBOMIRSCIVS. Principis VLADISLAI admiranda felicitas, CHODKIEVICII tot bellis probata fortitudo, LVBOMIRSCII Heroica & laudata iam in Scytharum ad Leopolim vsq; excurrentium cæde dexteritas, concordibus votis sociatæ, impetum ruentis belluæ represserunt. Omnium tamen celerrima LVBOMIRSCII promptitudo efferebatur, quod dum plena rumoribus infaustis Polonia personaret, & in dies pericula augerentur, assumptis proprijs cohortibus, & promptissimo quoq; excito, ad quintum Kalend;

Iun: castra ad Skálám oppidum posuerit, ex quo loco vnde in vlteriora spes sumi posset, prouidè admodùm decernebat. Quæ verò tùm illius cura, quod castrorum regimen fuerit, loquatur pro me, specimen illud Historicorum Sarmatiæ, eruditæ prudentiæ miraculum, ille inquam Tacitus Polonus INNOCENTIVS PETRICIVS, in ea quam posteritati consignauit Historia. Ipse (inquit Innocentiæ litteratæ delicium) in castris, nihil cæterorum extra curam suam pati, clàm fidissimos ad hostes submittere, consilia eorum penetrare, exercitui commeatum conuehere, alimenta parare, machinas & tormenta cuiusq; generis explorare, reficere, iuxtà ac si hostes adessent stationes, ordines, vigilias intendere, fortissimum quemq; alios militiâ, alios famâ cognitos ambire, acciereq;, præsentes interuisere, alloqui, hortari. Mouit exemplum & inuitatio, breuiq; alij se copiasq; castris intulère. Hoc LVBOMIRSCII in monumento æternitatis elogium. Neq; verò deferbuit ardor ille dum ad pericula ventum est, vtq; alios celeritate antecesserat LVBOMIRSCIVS, ita prior omnibus hosti electus est, in quo omnium virtutem exploraret. Præmiserat Turcarum bellua Kantimirum, qui primordia fortunæ bellicæ auspicaretur: hic licet barbarus, non errauit tamen, dum ex Aquila omen victoriæ, aut interitus cognoscere voluit. Antiquitùs creditum Aquilam secretorum Iouis consciam esse, & si fulmen portaret belli nuncia, si ramum oliuæ rostro teneret, pacis prognostycon habebatur. Aquilam putauit Kantimirus LVBOMIRSCIVM, quod pernicibus alis primus rapacissimo Orientis accipitri occurrisset, sed nesciérat fulmenné Aquila, an oliuæ ramum circumferret. Exploraturus itaq;, quemnam fata immanitati Machometanæ terminum assignassent, cum quinq; millibus Scytharum, nostros necdum vallo, aut munitione castrorum obarmatos aggreditur. Maximo impetu LVBOMIRSCII portam oppugnare, & quasi è condicto penetrare satagebat, sed Aquila vt se hosti generosam & Principem auium probaret impatiens oppugnationis in apertum prorupit. Feruebat in hoste acrior vis decertandi, & quia omen inde tanti belli sumebatur, quidquid Scythica potuit ferocia, ad terrorem & futuri belli potentiam effundebat. Aduertit hunc ambitiosæ crudelitatis in hoste animum LVBOMIRSCIVS, & vbi prælium crescere, ac Tartaros magnâ vi incumbere videt, cum sua cohorte in confertissimos celeriter inuolat. Nec diu sustinuit pertinacia fortitudinem, & quam-

& quamuis aruſpicum officio fungebântur, deſeruerunt omina, & ſyluis quæ propè aderant dedecus & fugam occultarunt. Ita ſemper LVBOMIRSCIO primitias laborum & gloriæ fortuna præparabat, ita iam tum Polonam nobilitatem admonebat, cui poſteà ſublato belli Duce, onus victoriarum & trophæa decernerentur. Et quanquam Heroica hæc, & verè LVBOMIRSCIANA facinora omnium conſenſu laudem meruerant, inuenit tamen addicta SRENIAVIIS ſors, vndè non ſolùm ex hoſtibus, ſed & commilitonibus triumpharet. Inuaſerat fames, domeſticus & eo crudelior hoſtis tentoria Coſacorum; bellicoſæ illæ animæ, paſſim inopiâ victus languebant, & ad quorum ſplendorem Othomannica Luna toties expalluit, illi velut viua mortis ſimulachra incedebant, emoriebantur, & quia ab ignauiſſimo hoſte, Martia illa pectora ignominioſam mortem exhorreſcebant. Vidit hoc LVBOMIRSCIVS, & quia amore ſummo felicitatem Patriæ complectebatur, indoluit adeò crudele malum, & egeſtate publica famoſum, Bellonæ deuotas mentes populari. Inuenit tandem virtus publicæ cladi remedium: Exundauit SRENIAVA, & quidquid in profundo latebat, expanſo ſinu neceſſitati aperuit. Venit in mentem LVBOMIRSCIO hæreditarium SRENIAVIIS eſſe, Nilum paruo licet fluuiolo æmulari, nec maiorem aliundè gloriam petere, quàm ſi in limpidiſſimos fontes, quidquid eſt LVBOMIRSCIANVM ſitienti Patriæ diffundatur. Atq; vt Nilus agros Ægyptiorum poſtquam exundauerit fertiliſſimos reddere ſolet; ſic vt primùm SRENIAVA LVBOMIRSCII, ſterilia caſtrenſis inopiæ arua, liberali curſu permeaſſet, ſuccreuit opulenta illa meſſis, quæ & famem quotidiè ingraueſcentem ſedauit, & recreatas Coſacorum vires vlteriori fortitudini accinxit, & LVBOMIRSCIIS aureos honorum immortaliſq; memoriæ annos comparauit. Moritur tandem Epaminondas Sarmaticus CHODKIEVICIVS, & quem adeò in promouenda belli fortuna promptiſſimum agnouerat Heroem, in eundem ius omne belli paciſq; transfert LVBOMIRSCIVM. Feliciſſimus erat CHODKIEVICIVS, quòd per continuos victoriarum curſus, iam propè confecto feliciter bello, velut in triumpho interq; laureas moreretur, longè tamen felicior, quòd præſtantiſſimum Belli Ducem Exercitui reliquerit, & in eo ſinu ſalutem Patriæ, ſpem, & futuros euentus repoſuit, vbi omnis felicitas ſuauiſſimè conquieuerat. Recepit arduum hoc munus

 LVBO-

LVBOMIRSCIVS, & vt erat pietatis religionisq; cultor celeberrimus, inde regiminis exordium ducit, vnde afflictis certissimum solatium pollicemur. Vix enim à colloquio extremos spiritus ducentis CHODKIEVICII recesserat, positus humi, multis precibus & votis imploratâ cœlesti ope, salutem totius exercitus cum fortuna sua DEO addixit, vouitq; Templum illud Visniciense, LVBOMIRSCIANÆ Magnificentiæ æternum monumentum. O Diuinam tanti Herois pietatem! O pectus omni compendio virtutum consecratum! Non miror iam turpissimè Belluam illam Orientalem supplicasse, & amissis tot primarijs Ducibus, tanta strage veteranorum, tàm ingenti Turcarum cæde ignominiosè ex acie decessisse, pontemq; documentum victoriæ, per quem copias traduceremus, reliquisse: LVBOMIRSCII etenim religiosa fortitudo dedecus illud Orbis fugauit, nec adeò virtus nostra, quanquam stupenda erat, quàm DEI nobiscum pro LVBOMIRSCIO decertantis præsentia, strictos in perniciem nostram acinaces hebetauit, contuditq;. Abijt ergo Osmanus laceratus ac propè exutus exercitu, abijt pœnas temerarij furoris daturus, abijt fabula Orbis vniuersi, ludibrium fortunæ, victi Orientis opprobrium, Sarmaticæ virtutis miraculum. Huius ego spolia in Aram Lubomirscianam depono, posteritati obsigno, & quemadmodum olim pellis leoni Nemæo detracta, templis & statuis Herculis apponebatur, ita Themistocli nostro Polono Lubomirscio, Xerxem Othomannicum, propriæ Gentis manibus dilaniatum, pro insigni victuræ gloriæ constituo. Sed me diutiùs castrensis detinuit apparatus; an quod Polono Ciui prima è castris nobilitas; an potiùs quod nullibi operosior diuturniorq; gloria, quàm in bellis patriæ salutem defendentibus acquiratur. Quidquid sit, certum tamen est, Polonos omnium gentium linguis ideò celebrari, quod Martem alibi peregrinum, nos Ciuem & incolam fecerimus, nec vlla facilior apud nos emergendi via est, quàm quæ fortitudine & militaribus trophæis constat. Magna sunt & illa quæ pacem, & Regni quietem tuentur, quæ prudentiæ Ciuili adscribimus; sed quia inter ea rarus cui ambitio, aut simulata non adscribatur polities, securius proindè bellica laude excellimus, in qua tutiora sunt omnia, quia à latere Principis remota, cuius familiaritate nihil propius ad inuidiam, & aliorum exulcerandos affectus. Redeo ad Illustriss. Lubomirscium è strepitu bellico ad Senatoriam tranquillitatem redeuntē.

Togatam in eo felicitatē iubent celebrare rariſſimæ virtutes, & ad exemplum cæteris efformatæ. In quo enim feliciùs Senatoria, Ciuilis, & priuata laus enituit? Poſtquam ampliſſimos honores virtuti & meritis debitos recepiſſet Illuſtriſſ: LVBOMIRSCIVS, ſalutauit eum ſimul & ſuſpexit prudentiſſimum Patria Senatorem. Cùm etenim Reſpublica Polona, maximum in ordine Senatorio conſeruandi Imperij reponat firmamentum, ita huic ſatisfecit deſiderio, vt in eo & Reipublicæ amor, & in rebus arduis conſiliorum felicitas, & in omni genere Politici ſtatus rara & conſummata prudentia, ab vniuerſo Ciuium ordine laudaretur. Nec aliud iudicium de illo miraculū illud æui noſtri, VLADISLAVS IV. REX olim feliciſſimus habuit, Quidquid ſolidam, quidquid defæcatam & multo vſu edoctam requirere videbatur prudentiam, Illuſtriſſ: LVBOMIRSCII cenſuræ permittebat VLADISLAVS. Quoties Illuſtriſſ: Lubomirſcius de Reipub: negotijs diſſerebat, quoties impendentia mala, ſolutam diſciplinam, violatas leges, libertatis iniurias, in facie totius patriæ graui illa & verè Heroica eloquentia diſcutiebat, omnes rediuiuum Poloniæ Catonem mirabantur, pendebant ab ore dicentis, & quidquid ſtatuere aut vindicare decernebat, applauſu totius populi decernebatur. Neq; verò ſolius hoc bonum Poloniæ fuit; Superauit limites Imperij noſtri, & amorem exterarum gentium venerationemq; promeruit. Quem enim è Poloniæ proceribus adeò in delicijs & perpetuo cultu Principes externi habebant? præter Magnum hunc Sreniauiæ gentis Heroem. Pepererat autem illi hanc propenſionis, & obſeruantiæ teſſeram; illa quam ſuſpeximus prudentia, quæ etiam inuidos, prout ſunt alieni Principes, eum qui tāta virtute celebratur, primùm ſuſpicere, ſenſim extollere, ad extremùm amare cogit. Ad cuius conſortium virtutis venerat quoq; publica Magnificentia. Vidiſſes Lubomirſcium, quoties dignitas Patriæ requirebat, quoties Polonum decus exteris erat oſtendendum, nihil præſtantius duxiſſe, quam ſplēdorem priuatum, & quidquid pretioſum prouida Maiorum diligentia ſeruauerat, Reipub: donare, & opulentiam Regni communem, priuato quod rariſſimum eſt, luxui anteferre. An non illa verè Heroica Magnificentia fuit? ad defendendos patriæ fines iuſtam militum manum alere, & dum neceſſitati occurrendum eſſet, nulli ſumptui, nulli labori parcere, vt quam firmiſſimum Patriæ præſidium è Lubomirſciana liberalitate proueniret. Quantum verò Poloniæ ornamentum addiderit virtus

hæc, an quiſquam eſt, qui non intelligat? Ex omnibus quæ ad ſplendorem Regni noſtri erexit monumentis, ſufficit illud victoriarum Sacrarium, vnius Mæcenatis Magnificentiæ miraculum, Templum VISNICIENSE, quo ne Regiæ quidem opes excellentiùs quidquam fingere poſſent. In hoc opere declarauit LVBOMIRSCIVS, quam immortalis memoriæ auidiſſimam mentem habuerit, quantum publicæ laudi & Poloni nominis gloriæ ſtuduerit, quidnam Magnates patriæ debeant, & quomodo poſterorum amorem conſequi poſſint. Hoc tandem eſt, quod omnes crepamus, nemo aggreditur, futuræ ætati ſeruire, nepotes ad egregia facinora inflammare, & præſentium eam curam habere, ne ſenectutem aliquando ſentiant, ne ſquallore vetuſtatis deleantur. Hæc in publicum merita, ſuperficie tenùs delineata, quia omnium opes, myrothecia, & ſuauitatem ſuperant Oratorum. Quanquam priuatim nihil ego eum inuenio egiſſe, quod non ad integritatem communem ſpectaret. Illis hoc familiare, qui latibula domeſtica quærunt, ne in omnium oculis velut noctuæ rideantur. Magnis viris etiam in cubiculo theatrum eſt; nihil ibi moliuntur, nihil perpendunt, niſi quod omnibus proſit; & quia vita Heroum velut norma ab alijs obſeruatur, cauent proindè ne ſe occultent, ne ſecretos quærant receſſus, quorum vmbram tenuiores rarò in bonam partem interpretantur, imò quidlibet faciliùs in Senatore ferunt, quàm ſolitudinem, & ex longinquo viuendi modum. Quidquid ſplendidum, quidquid diei amicum eſt, tenebras & noctium fraudes deteſtatur; plebeia & angulorum carceri aſſueta mens, nihil moleſtiùs reputat, quàm conſpici, & iudicia intuentium exſpectare. Vita Illuſtriſſ: Palatini priuata nunquam fuit. Quam olim Pollio vitream domum exoptabat, eam Viſnicij ſpectauimus. Omnia patebãt, omnia cernebãtur, quia omnia digna elogijs & admiratione fuerant. Ibi licuit intueri LVBOMIRSCIVM velut alterum Robertum, inſigni pietatis ardore incenſum, inter candidas innocentiæ columbas, inter illa pulcherrima Carmeli lilia, quibus ipſe hortulum plantauerat ſedentem, pſallentem, Diuinæ bonitatis opera contemplantem. Ibi vidiſſes agmina Religioſorum, pauperum cætus, afflictorum turbas, egentium multitudinem, ſub patrociniũ liberalitatis confugientem, nec vllo vnquam tẽpore ſpe ſua fruſtratam. Ibi ſuſpiceres nuntios à diuerſis Principibus miſſos, Nobiles opem accíſis rebus expectantes, ſubditos iniurias velut Parenti clementiſſimo deferentes, Aulam impleuiſſe. Quanquam

quam etenim corpus eius, augustæ mentis domicilium, laboribus, partim bellicis, partim Ciuilibus fractum & debilitatum, continuò languore premebatur; vigebat tamen & felicissimè triumphabat inuicta animi constantia, imò quo minùs virium fragili corpusculo inerat, eò robustior, generosior, & immortalitati propior anima, mortalia velut infima contemnebat. Aduertit hunc in Jllustrissimo LVBOMIRSCIO cælestia voluentem animum Libitina, & ne diutiùs terrestri hospitio immortale donum detineretur, præter omnium spem, tàm periculoso Reipub: tempore, inter vberrimas omnium lachrymas, fragile quidquid erat & terrenum dissoluit, animam Magni Herois ad beatarum mentium societatem aggregauit. Nunc Tibi Polonia velim reuoces, quid in tanto Heroe amiseris, quid meritis eius debeas, quod Te fatum maneat, dum nonnisi pretiosissima quæq; è sinu Tuo rapiuntur. Perdidisti in LVBOMIRSCIO, quidquid adhuc antiquæ felicitatis latebat. Quousq; Vir hic cælesti fauore seruabatur, recurrebat in animum prisca illa Polonorum fortitudo. Ille enim fuit in quo fortuna seipsam vicit, in quem virtus quidquid vbiq; celeberrimum habebatur congesserat, in quem Patria Cornucopiæ honorum effuderat. Ille fuit Osmani fugientis terror, Scytharum fulmen, militiæ speculum, prudentiæ ciuilis archetypon; in quo apex supremus gloriæ steterat, nec inuenire potuit, quo iam altius desiderium Magni nominis euolaret. Quoniam ergo non lachrymas, sed Aram Æternitatis Illustriss: LVBOMIRSCIO promisimus, hanc ego virtutum insignijs adornatam, & Othomannicis trophæis illustrem, in Templo Sarmaticæ gentis amplissimo constituo. Venient sæcula, quæ aurea nobis tēpora viuente LVBOMIRSCIO, inuidebunt. Stupeat & veneretur posteritas, quę nobis cęlesti dono videre licuit & admirari. Tu verò Illustrissima LVBOMIRSCIORVM Domus, Aquilam fulmen pedibus tenentem Aræ imponito, & ne Spartacus Poloniæ immineat, Aram illi hanc opponito; fieri non potest, vt quem viuum Oriens timuit, eius mortui cineres, vile mancipium non exhorrescat.

DIXI.